



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Responsio Ad Accusationes Quibus De Mala Doctrina
Accusatur Apud S. Sedem Florentius De Cocq Ecclesiae S.
Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonstrat. ... In Libello, Cui
Titulus: Propositiones per Belgium ...**

Cocq, Florentius de

Lovanii, 1693

Responsio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40343

ACCUSATIO QUARTA.

Parte 3.
Artic. 5.
num. 2.

EA est Charitatis necessitas, ut non immeritò dicatur vita omnium actioꝝ humanarum, quæ sine eâ mortuæ sunt, & peccati labe aspersæ. Debent enim in Deum referri, quod non fit sine Charitate. Idem in thesibus, Antverpiæ defensis 15. Julii 1689. Thesi 2.

RESPONSIO.

PER Charitatem hîc intelligo cum totâ Scholâ Augustinianâ, charitatem imperfectam, sive omnem amorem, seu affectum Dei propter se; non verò laudabilem illam charitatem, quæ sit Dei cum homine amicitia; quæ cum statu peccati mortalis consistere non possit &c.

Sic accepit eandem charitatem S. Facultas Theologica Lovaniensis, quæ jam pridem per Deputatos suos hanc opinionem (de qua accusor) S. Sedi obtulit examinandam, & professæ est sub titulo de Virtutibus Theologicis num. 2. in hunc modum: *Vocem, CHARITAS, tametsi aliqui Scholastici accipiant pro solâ illâ Dei dilectione, quæ est nostra cum eo per peccatorum remissionem amicitia: S. Augustinus, & alii Patres eam sumere solent pro quavis supremi boni castâ propter se dilectione: QUASI VERO, inquit Augustinus, ALIUD SIT BONA VOLUNTAS, QUAM CHARITAS.*

Hinc idem S. Doctor distinguit charitatem natam, nutritam, adultam, robustam, perfectam . . .

Itaque charitas & cupiditas generatim sumptæ non sunt aliud, quam bona, & mala voluntas . . . Unde & Concludit.

Omne opus, ut plenè bonum sit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali charitate procedere. ac per ipsam referri in Dominum Deum: NEC ENIM teste Augustino, FRUCTUS EST BONUS, QUI DE RADICE CHARITATIS NON SURGIT.

Attamen ista relatio per charitatem perfectam fieri non debet, sufficit eam fieri per charitatem imperfectam.

Idem post deputationem suam scribit Amplissimus D. Sreyaert in Aphorif. loco ibi supra dicens: *tenet itaque (Schola hæc Lovaniensis per suos deputatos S. Sedi doctrinam suam profitens) ut non peccetur saltem venialiter, dum opus aliquod, seu externum, seu internum deliberatè ponitur, debere illud referri in Deum ex affectu charitatis, seu amoris Dei casti, qui tamen amor non sit necessariò charitas strictè, & propriè dicta.*

Idem prorsus dicimus (nil aliud) in Propositione, de quâ hîc accusor; dicen-

dicendo ad hoc, ut ne quidem venialiter peccetur, necessariam esse charitatem; id est, aliquem affectum charitatis in Deum, seu affectum amoris Dei casti; quæ tamen non sit necessariò charitas strictè & propriè dicta, sive hominis cum Deo amicitia.

Neque enim tam vecordes sumus, ut dicamus, fidem informem, spem, timorem gehennæ, & alios actus, quibus peccatores utiliter disponuntur ad justitiam, & *mortuos esse dicamus, & peccati labe adspersos*; quos S. Tridentina Synodus declarat esse utiles, esse impulsus Spiritus S. disponere ad justificationis gratiam &c. Quin potius in iisdem actibus (tamen in peccatore, ac proinde sine charitate perfectâ) charitatem aliquam imperfectam, seu affectum aliquem amoris Dei casti exigimus.

Dicimus ergo dictâ Propositione, quod ut homo ne quidem venialiter delinquat, debeat actionem suam referre in Deum tamquam ultimum finem, idque per affectum aliquem saltem imperfectæ charitatis: aliàs actio erit mortua, quia defectuosa juxta dicta ad accusationem præcedentem; & peccati labe adspersa, ob defectum debitæ relationis juxta dicta ibidem.

A C C U S A T I O V.

Non indigemus gratiâ, ut orare possimus, sed ad orandum. Parte 4.
Artic. 2.
Propos. 33.
Florentius de Cocq. in principiis totius Theologiae
pag. 772.

R E S P O N S I O.

Nescio, quo studio, aut zelo accusatores nostri hanc Propositionem à cætero contextu, & sensu sejunctam & separatam accusaverint. Dico enim loco citato in hunc modum ad objectionem mihi formatam: respondeo, *non indigemus gratiâ, ut orare possimus, sed ad orandum*: & continuò subd. di. ibid. *posse enim bene agere, naturæ est hominis: bene agere autem, gratiæ est fidelium. Unde si illud, SINE GRATIA, afficiat POSSE, falsum est: etiamsi verum sit, si referatur ad ORARE, CONVERTI, quæ sine gratiâ non fiunt. Ut quid hunc contextum placuit accusatoribus nostris studiosè truncare, & omittere?*

Pateat igitur ex ipso contextu, me per *posse* hic intelligere potentiam illam remotam, qua homo naturæ rationalis per intellectum & voluntatem capax sit, & *possit* orare, *possit* credere, etiam sine gratiâ: etsi sine gratiâ oraturus sit nunquam; non secus, ac in homine agnoscenda est potentia